

Sammelband

Ph

62

+




25. 24

DANIA. BIFRONS.

A. TERGO. HAUD. TEMERE. CUI. SVECA. CICONIA.
PINSIT.

NUPER. OB. RES. IMPROSPERE. GESTAS.
A. SUECO. ARDELIONE. INTER. UMBRAS.
NUNC. VERO. POST. ASSERTAM. BELLI. GLORIAM.
PULSUMQUE. HOSTILE. SCELUS.
INTER. VIVIDÆ. VIRTUTIS. EXEMPLA.
A. SINCERO. DANICARUM. PARTIUM. CULTORE:
ORBI. EXHIBITA.


TUMULUS DANIAE
à Svecico quodam affectu confictus
Anno 1658.

Adsta, Viator, paululum,
 Invenies hîc de miserandâ miseranda:
 Nostiné DANIAM?
 Quæ Manium suorum Consilia, destinata, cœpta,
 (quos vel pecunia, vel promissa munia
 excœcârant, de sana mente deturbârant)
 seqvuta,
 Contra Svecum tumultuata,
 Hic à seipsa tumulata est.
 Periculum amavit, affectavit,
 in periculo perijt.
 Olachrymanda DANIA!
 Cur Gedanensium fectis, dictis,
 quorum ductu seducta:
 Cur Polonorum emendicatis, ementitis viribus,
 quorum persuasu in Campum educta:
 Cur Austriacorum promissis omissis,
 quorum causâ in extremam perniciem jam deducta es:
 tam facilis credidisti, fidem dedisti?
 Qui facilis credit, facilis quoque fallitur idem.
 Tene latuit
 horum, istorum, illorum,
 invidum, infidum ingenium?
 Exitium tuum vident, irrident.
 Miserere quæso, Viator, Casuum Daniæ,
 quæ alterius miserata miseriam
 seipsam reddidit miseram.
 Gladium à Poloni jugulo avertit,
 & in suum ipsius jugulum infaustè convertit.
 Poloniam liberavit à præcipitio,

ut seipsam præcipitaret.
 Morbus itaque primarius,
 quo laboravit DANIA,
 fuit suorum sanè infania,
 Sed Dania fortassè medelam passa fuisset,
 nisi morbus
 Medicorum (quorundam belli Ducum)
 incuriâ, an dicam inertia?
 invaluisset.
 Accessit deindè animi deliquium.
 DANIA enim
 Quæ primum Suevicæ potentiaè insultaverat, illuserat
 postmodum in calce cor gesit,
 fugam dedit,
 Donec tandem terror quasi Panicus
 Daniae protinus ademit vitam.
 Mirum percipite prodigium,
 Deus Sueco gratificaturus
 Pontem struxit super Pontum,
 non de lapide, sed de glacie:
 quò demonstraret
 se summum esse Pontificem.
 Post mortem hunc accepit Tumulum
 DANIA misera,
 Opibus spoliata,
 Membris mutilata.
 Morte tamen in mediâ invenit pacem,
 quam viva repudiavit.
 Tu Viator illi
 de adeptâ quiete gratulare,
 & precare
 ne his, istis, illis idem eveniat.
 Ipsi enim,
 Qui vivam Daniam non habebant metuendam,
 mortuam jam habent formidandam.

RESURRECTIO DANIAE
Tumulo Svecico opposita
 Anno 1659.

Quisquis es mortalium,
 qui rerum humanarum vices, & fortunæ ludentis aleam
 contemplaris,

Spesta DANIAM:

Invenies in miserâ dictu mira.

Hæc

exanimata cùm esset, repente extitit animosa:
 jàm sepulta videbatur, cùm injurias suas masculè ulta est,
 è Tumulo suo rediviva, se ipsâ major,
 ceu Phoenix alter è cineribus suis,
 non sine triumpho, exijt.

Morbus, quo laboravit Dania,

non suorum *Insania,*

sed *Svecicus furor* fuit:

malum vicinum, non domesticum.

Invaserat primò hæc pestis Poloniam,
 sed ab eâdem *acri helleboro* expulsa est.

Postea contactu infecit Daniam.

Accesit hydrops Sudermannicus,

cujus *Tumor Tabem* Daniae attulit:

omnia exhauriens, ipse inexplebilis.

Quid inde?

Dania casu, non virtute, superata,

favitiâ hostili eneçta,

diem suum, non supremum tamen, obijt.

Ultima quidem *fata* Daniae *fatuus* quidam *Vates* cecinerat;

verùm *superi fatis* illis *remoram* dedere.

Hanc ut amoveret Svecus, nullum non lapidem movit.

Tumulum tumultuariò paravit, Daniaem etiam nùm

supersti.

superstitem sepulturus;
ignarus interea, Daniam *Vesillonibus* suis fatalem fore
Tumulum.

Scilicet hoc pacto Dania funus facta est.

Fam conclamatum:

Præsto est *Præfica*,

ficto ululatu, planctu *Crocodylino*,
adversos Daniae casus deplorans.

Cæterum,

ut exequiæ ritè peragerentur,

en! illos de *Svecia gentium Libitinariorum*,
cum immenso *Pollinctorum*, & *Siticinum* grege,
nec non *Ustore* ob præstantem artis usum famosissimo,
cui per excellentiam *Incendiarij* nomen inditum.

Hi omnes Euro ocyus ex *Holsatiâ* regressi

in viscera Daniae involant,

non secus ac in cadaver *Vultures* solent:

Unguentis instructi efficacissimis,

Pice, *Resinâ*, *Sulphure*.

Postquam *Designator* per universos munia diviserat,

gnaviter illi manus operi admovent,

jàm tùm circa *præcordia*, ipsamque *vita sedem* occupati.

Sensit Dania strepitum;

ex alto veluti sopore excita,

novaque specie perculsa:

Ornamenta detrahi sibi videns, secum ait:

Hoc verò non pollinctura, sed rapina est.

Insurgit in *spoliatores* suos *spoliata*,

viresque à virtute mutuatur.

Genus hoc *fugacissimum* non minùs, quàm *furacissimum*,

non secus ac si *larvatum*, *attonitum* vé esset,

latebris suis irruit.

Pessimè plerisque cessit hæc trepidatio:

quibusdã enim penetrans *splendor*, quàm *Phosphorum* vulgò
vocant,

ità præstrinxit *lumina*, ut *vitale lumen* amitterent:

A 3

alios

alios multo anhelitu fessos *angustia pectoris* afflixit:
pars currendi velocitate prolapsi, luxatis tibijs brachijsq;
usum pedum amisere.

Plurimi verò diuturnam contraxere *Capitis gravedinem,*
quam præteritâ demùm hyeme *Pillularum Hafniensium large*
dosis discussit.

Magnum nunc accipe prodigium,
sed risum tene.

Sors propitia Daniae gratificatura
in *Ponti* progeniem, *Ponti* fratrem,
qui per *Pontum*, nuper *Ponte glaciali* incesserat:
in *lubrico* à fortunâ positus, sed incaurus;
missum è *Pontone* fulmen direxit,
ipsumque *Pontificalibus* mulctavit.

Perijt hoc ictu miser:
castratus non propter *Regnum Dei*, sed propter *Regnum*
Daniae:

fatis ità providèribus, nè *noxia radix* pejorem *noxam* ederet.
Arfit deinde *Rogus* in *Amagria*.

Si nomen, & ingenium loci requiris,
paucis habe.

Insula est exigua, *Hafniae* contigua:
præter fertilitatem soli *leporibus* fœcunda,
ideoque *Diana* sacra.

Hanc *Sveci* temerè ingressi, ut *rogum equestri Decursione*
cohonestarent,

incertum, quò numinis afflatu,
mira certè metamorphosi,
in *Lepores* mutantur:

non *leporina* quidem pelle, sed *fugacitate* ridiculi.

Vidisses sanè *lepidos* tot *lepusculorum saltus*:
qui irâ *Diva* curam loci agentis,

Velut olim *Actæon*,

repentè transformati proterviæ suæ pœnas dederunt.

Quapropter

à *Venatoribus Danicis* circumventi fugam capessunt:

Optimus

Optimus quisq³, lepus celeritate pedum elabitur;
 Plebs reliqua,
 & quaecunque minor *mobilitate* fera est,
 capitur, conficitur, maectatur.

Vidit Svecus *exequias* invito numine à se *peractas*:
 vidit Dania non *expirantem*, sed *respirantem*:
 non laceratam, sed *membris coalescentem*:
 quippe pulcherrimis Ditionibus,
Nidrosiâ, Fioniâ, Boringiâ,
 post *expiatam Svecicam rabiem*,
 magnâ hostium strage,
 Daniae autem perenni decore,
 pristino Imperio redditis.

Proinde in luctum mœroremque versus,
 scelerum conscientiam exagitarus,
 infestos sibi jam *patitur Manes*.

I, *Præsica*, tuumque ipsi Carmen occine.

Tu verò,

quisquis es, qui *Tumulum* destinasti,
 Anticyras naviga cum tuâ hâc *Insania*,
 nè,

dùm Orbis suffragiò Dania ab hoc *Tumulo* se vindicat,

Tu *Mulus* interim audias,

non *Marianus*, * sed *Svecicus*:

hoc est, *foedum alienæ libidinis mancipium*.

Muli Mariana-
 ni diceban-
 tur Marij
 milites, ap.
 Plut. in V.
 ejusd.



CENTO.
IN.
EQUOS. REGIS. SVECIÆ.
EX.
A.
EQUILI. FRIDRICHSBURGICO.
MANIPULO. DANORUM.
HEROICUM. IN. MOREM.
IN.
SVEDICÆ. VIGILANTIÆ.
MAXIMUM. OPPROBRIUM.
ABDUCTOS.

die. XII. Decembris. M. DC. LIX.

VT jugulent homines, surgunt de nocte latrones;
Ut fiant Equites, Danica gens vigil est.
Invadunt stabulum somno, Zythoque sepultum,
Et fit Eques subito, qui pedes ante fuit.
Sessores mirantur equi sub nocte silenti;
Sed Superi felix hoc iter esse jubent.
Quid moror? adventant in equis propè Svecica castra,
Atque intrant portas, Hasnia clausa, tuas.
Sic David Saulo calicem furatur, & hastam;
Sic ignem ex cœlis, abstulit ille Jovi.
Scilicet haud unum fecisti, Svecia furtum.
Hinc venit ex merito pœna dolenda tibi.
Quid juvat ablatis stabulum reparare caballis?
Quid juvat amisso claudere septa grege?
Sic sterit, & movit quondam cornicula risum,
Furtivas pennas cum Volucres peterent.
Signa te, signa, temerè te tangis, & angis.
Svece; Vices rerum discere discite precor.
Tandem etiam victis redit in præcordia virtus.
Et redit ad Danos, gloria prisca meos.
Et dolus, & Virtus rediit. Discedite Sveci:
Qui vos perdiderit, non nisi Danus erit.

Kg 2154

ULB Halle

3


002 613 727



56

VDT7





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.



24

FRONS.
CUI.SVECA.CICONIA.
OSPERE.GESTAS.
INTER.UMBRAS.
AM.BELLI.GLORIAM.
TILE.SCELUS.
ITIS.EXEMPLA.
ARTIUM.CULTORE:
ITA.

